

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0691

0689

0695

0685

0700

0680

0740

0640

0790

0590

0190

Ende

Anfang

118

jejunant vel a carnis abstinunt, aut tristitia vel laetitiae  
dies agunt, cunctos advenas hospites et peregrinos hoc idem  
facere cogunt. Sic etiam faciunt cum vino: ex quo ipsi eo  
non utuntur, non sustinent, quod peregrini apud eos eo utun-  
tur, nisi occulte, eis non videntibus etc.

(B) Secunda die, quae est S. Stephani Papae et martyris, auditio Officio et sumto cibo convenimus ad montem Syon et deliberavimus circuire totam civitatem Jerusalem ab extra et videre ejus munitiones vel potius munitionum ruinas, non obstantibus intensissimis caloribus et solis ardoribus, id enim facere non bene poteramus nisi fervescente sole, quo tempore Saraceni in umbra manent. Mane enim et vespere, sole tepescente, in hortis sunt, et exspatiantur extra portas, nec passi fuissent nos circuire urbem: ideo horam quietis eorum ad hoc elegimus. Incepimus autem sic circuire. Primo transivimus usque ad arcem David contra occidentem, et ab ea processimus ad portam piscium sive negotiatorum, ubi est angulus occidentalis, in quo murus occidentalis jungitur muro australi. Ab hoc angulo processimus in agrum fullonis, in quo hodie locus est cum muschea et Saracenorum sepultura, sicut et fuit tempore beati Hieronymi, ut habetur in libro de distantiis locorum. In agro autem fullonis vertimus nos contra aquilonem, habentes ad dextram civitatis sanctae fossata, supra quae processimus tendentes in aquilonem. Fuerunt autem fossata profunda et lata, et murus civitatis supra rupes aedificatus, et ipsis muris sunt domus insertae, de quibus habetur respectus in fossata. Porro sub ipsis rupibus vidimus cavernas magnas, per quas est introitus quasi usque ad medium civitatis sub terra. Et si habuissemus lumen et facem accensam ingressi fuissetsemus speluncam, et doluimus nos non accepisse. Has cavernas nominat Josephus lib. VI. c. 8. de bello Judaico speluncas regias; sed ob quam causam sic vocentur, non legi. Opinor tamen, quod forte introitus aliquis erat in civitate in eas, soli regi notus, per quem nullo sciente poterat civitatem exire et intrare, vel a palatio regis erat introitus.

Consequenter processimus satis per longum tractum supra fossata usque ad angulum aquilonarem, in quo murus

